

Compte rendu des séances des États du Brabant de 1648 à 1682

par Libert de Pape, abbé du Parc, membre des États

(Suite *)

17 Novembris, Comparuit in Statibus Comes de Salasar munitus litteris credentialibus ex parte gubernatoris.

Petiit 1° an pecuniae pro solutione unius mensis essent paratae ? responsum quod sic.

2° An solutio pro sequentibus mensibus sequeretur, responsum hoc dependere a conclusione, et obstaculum poni per impositionem licentarum ; reponebat D. Dennetières thesaurarium hodie tetendisse Mechliniam ad gubernatorum pro accommodatione earundem.

3° Petiit an vellemus solvere militi equiti in pecuniis an partem in fouragiis ; responsum quod hunc mensem solveremus in pecuniis, deliberaturi pro sequentibus.

f° 150^{vo}. — 4° Petiit listam quantum importaret uno anno, imposta eorum qui ab illis praetendunt esse liberi ; responsum ad hoc faciendum tempus requiri, et quod Gubernatori daremus — et per interim concedi posset ut liberi non solverent sed tantum teneretur notitia donec et usque.

Et addebat ad instantiam Statuum factam fuisse magnam reformationem in milite et hinc magno detrimento Regis 1100 equites abscurrisse versus Lotaringos.

*) *An. Praem.*, XXIX (1953), 111-128, 251-288; XXX (1954), 60-122; XXXV (1959), 103-152, 284-300; XXXIX (1963), 153-164. L'édition de ce manuscrit fut commencée par P. Lenaerts (†) ; elle est continuée par Fr. Breuls de Tiecken, O. Praem.

Post meridiem dicto Comiti, per graffiarium, praefata responsa data fuerunt in scripto.

21 Novembris, Me absente dictus comes reversus fuit, cum responsis et apostillis Gubernatoris, super responsa nostra.

Et 1^o quod licentiae essent impositae per Marchionem de Castel Rodrigo, cum scitu Regis, qui illa approbasset, et proinde illas abolere non possent, et quia in consensu duorum primorum Statuum, desuper nulla mentio facta fuerat quod ideo prosecutio solutionis 20^m rationum impediri non deberet; et petebat quatenus Status asscuerent Gubernatorem super continuatione solutionis 10 mensium.

2^o Quod ex 20^m rationibus permetteret singulis mensibus sumi 10^m florenos pro solutione cohortium ordinariorum Brabantiae.

3^o Quod super accommodatione libertatis impostarum, misisset legatum Don Stevan de Gamarra Bruxellam.

4^o Quod si Status traherent moras solvendi militi, quod ipse ex erario Regio conaretur interim solvere, et ne miles periret quod illum collocaret in talibus locis, in quibus posset subsistere.

Et addebat Comes de Salasar quod ex nunc bene 2 millia equitum abscurrissent.

22 Novembris, Duo primi Status fecerunt declarationem super opinionibus civitatum capitalium de quibus 15 Novembris, scilicet non esse consensum in subsidio 20^m rationum, non tantum quia civitates Antwerpiensis et Bruxellensis non consentiebant, sed etiam quia per impositionem licentarum, infracta erat una ex conditionibus apposis per 2 primos Status, et insuper impositio licentarum esset contra privilegia Patriae.

f^o 151. — 23 Novembris, Responsum est D. Comiti Salasar ad puncta nudius tertius proposita quod impositio licentarum esset contra conditionem 2 primis Statibus appositam in consensu 20^m rationum et quod Civitates ratione illius consentire renuerent, et insuper repugnare claris privilegiis, et si gubernator desuper vellet indicare aliquam conferentiam cum qualibuscumque ministris instituendam, quod non dubitarent se illos convicturos.

Deinde inter colloquendum additum fuit, quod si non foret spes impositionem licentarum abolendi, Status nihil amplius solvere posse, et subsidium 20^m rationum haesurum.

Comes de Salasar reponebat, se non putare quod licentiae impositae abolirentur, quod opinio omnium Ministrorum Regis ferret, quod Rex illas posset imponere, et cum exercitus regius non expediret perire, quod alia media pro subsistentia illius deberent quae-

rere, et indicabat quod tractarent cum officialibus patriae ruralis etc.

24 Novembris, Retulit graffarius Comitem Salasar responsum nostrum legisse sed ei redidisse, eo quod deputati Statuum Mechliniae Gubernatori addixissent et etiam sibi 17 hujus in camera Statuum se adhuc soluturum Militi unum mensem, et nunc hoc in suo responso revocare, quod ea propter non auderet illud tradere gubernatori.

Status curarunt per Graffarium responderi, quod solutionem unius mensis addixissent, sub firma spe quod licentiae abolirentur, et subsidium 20^m rationum compleretur; cum autem comes retulisset, Gubernatorem resolvisse, licentia manu tenere, non esse ullam apparentiam quod subsidium compleretur, et quod hinc non possent refundere nummos, quos nunc levare deberent pro solutione dicti mensis, et proinde se solvere nullatenus posse.

27 Novembris, Vice Cancellarius attulit actam acceptationis super opiniones Civitatum, super impostis finitis ultima maii praesentis Anni 1668.

Circa primam Decembris, Milites qui a Septembri hospitati fuerant in patria rurali quarterii Lovaniensis et locis vicinis, ut Campenhaut, Leefdael, Vossem, Duysborgh, Hulleberge, S. Achtenrode etc. inde tandem amoveri coeperunt, et diversis in oppidis collocati fuerunt.

f^o 151^{vo}. — 3 Decembris, Status rursum congregari coeperunt in Cubiculo suo ordinario in domo Civica, quod a festo S. Joannis Baptistae deseruerunt, ob contagionem et pestem, quae infecerat inquilinos, infra istud cubiculum habitantes, et interim congregationes suas tenuerant in Cubiculo Majoris guldae, « opt broodt huijs ».

11 Decembris, Recepta est epistola ex parte Gubernatoris, in qua scribebat Statibus qualiter jam biennio fere elapso subsidia fuissent delata, et ultimum de 550^m flor. tantum fuisset emissum in martio Anni 1667, cum fuisset tamen propositum in februario 1666, deinde elapso anno aliud fuisset petitum 800^m flor. quod per incursum Gallorum factum erat caducum; et jam in Maio 1668 novum fuisset petitum 24^m rationum ad ratam 4 stuferorum etc. et exiguum summam desuper tantum fuisse solutam, et nuper in Novembri status declarassent ob defectum adimpletionis conditionum, illud esse nullum et nullatenus subsistere, hinc monebat status, nisi adferre vellent remedium ne miles dispergeretur, se coactum iri aut ruralem patriam milite gravare, aut cum officialibus illius tractare; et quia

impostae redivisibus et aliis oneribus gravatae erant, se curaturum ut illae levarentur et colligantur ad opus jus habentis.

Deputati Statuum rescripserunt gubernatori, se non esse sufficientes desuper resolvere, sed quam primum convocatuos suos principales ; quos convocarunt in 17 hujus.

12 Decembris, Me convenit Princeps Badensis, et retulit dictae epistolae conjunctum fuisse unum manifestum Gubernatoris contra status Brabantiae, et utrumque a gubernatore subsignatum, missum fuisse ad concilium status, ut publicarent, quod iudicarent

fº 152. — expedire, consilium autem Status convenire non potuisse, sed inter se dissensisse, et epistolam cum Manifesto remisisse gubernatori, ut faceret secundum beneplacitum suum ; contigisse autem ut gubernatori tunc adessent D. D. comes de Pimentel et baro de Lisola, qui interrogati quid desuper sentirent, respondisse, neutrum facere nec epistolam nec Manifestum, sed modestiori et suaviore modo, cum Statibus procedendum esse ; ad quod Gubernator respondisset, honoris sui interesse se signasse, alterutrum emitti debere, ad quod alii replicassent, e duobus malis minus esse eligendum et proinde potius epistolam, quam Manifestum emittendum esse ; et sic Epistolam praefatam statibus missam fuisse.

Desuper, vespere, quasi istorum nescius, una cum D. Barone de Goyck, adivi Bruxellis D. Baronem de Lisola, quasi consilium petitori quid super praefata epistola respondere deberemus et multa simul contulimus, et quia ex una parte Status erant suspecti aulae, et consilium Status et privatum, suspecta Statibus, rogavimus quatenus se vellet interponere mediatorem ; et addixit se desuper scripturum D. Comiti de Pimentel ad informandum gubernatorem etc.

17 et 18 Decembris, In congregatione generali, resolutum deputandum esse ad Gubernatorem super epistola recepta 11 Decembris ad illum melius informandum, et nisi daret spem firmam licentiae abolendi, quod amplius super petito subsidio nihil solveretur etc. et deputarunt me cum Barone de Goyck Burgimagistro Antwerpiensi et Graffario.

En marge : Missio in Hispaniam.

Item duo primi Status juxta permissionem de qua 15 Novembris deputarunt in Hispaniam pro informanda Regina super statu patriae D. Baronem de Goyck et tantum voluerunt unum deputari, D. Burgimagister Lovaniensis consensit cum duobus primis Statibus, sed Bruxellenses et Antwerpienses volebant mittere tres Hispaniam, ex unoquoque Statu unum.

f° 152^{vo}. — 19 Decembris, Ego una cum Barone de Goyck Burgi-magistro Antwerpiensi et Graffiaro, reda tetendimus Mechliniam, exposituri D. Gubernatori, resolutionem Statuum.

20 Decembris, Petivimus audientiam, et renuntiatum fuit nobis D. Gubernatorem esse indispositum, heri non dedisse audientiam, nec hodie daturum, et postquam diu expectassemus, comes de Salasar renuntiavit nobis, ut quae habebamus dicenda, diceremus secretario Galaretta.

Post meridiem Graffiarus noster accessit secretarium Galaretta, et exhibuit illi nostram requestam, et recommendavit illi, quatenus cito possemus habere responsum ne forte cogeremur Mechliniae expectare in festis instantibus.

21 Decembris, Post meridiem Graffiarus noster iterum accessit secretarium Galaretta, qui ei respondit requestam nostram remissam esse ad Concilium Status, nosque posse reverti Bruxellam, hinc,

22 Decembris, mane reversi sumus Bruxellam et post meridiem fecimus in statibus horum relationem.

En marge : Cancellarius Fierlants ad juramentum admissus.

23 Decembris, In Dominica D. Simon Fierlants²³⁸) petiit admitti ad juramentum tanquam Cancellarius Brabantiae, mota fuit difficultas quod litterae patentes illius essent sigillatae in Hispania, sigillo regio, contra praescriptum Laeti Introitus, hinc resolutum fuit, ut admitteretur ad juramentum, sub protestatione, et quod curaret sigillum mutari.

Deinde introiens congregationem Statuum, graffiarus facto eadem complimento, protestatus est contra dictum sigillum, et addidit idem factum fuisse contra litteras patentes D. Asseliers et D. Steenhuyse ; et praelegit D. Fierlants articulum... Laeti Introitus statuens omnes patentes litteras Brabantiae et sigillari debere sigillo Brabantiae ut in renovatione juramenti super Laeto Introitu D. Marchionem de

f° 153. — Castelrodrigo, promississe, quod scriberet Hispaniam,

²³⁸) Fierlant (Simon de), chevalier, seigneur de Bodeghem, naquit à Bruxelles ; avocat au conseil de Brabant, il devint successivement conseiller au grand conseil le 4 mai 1657 et membre du conseil suprême de Flandre à Madrid le 12 mai 1663. Il fut nommé chancelier au même traitement que son prédécesseur, par lettres patentes du 20 juin 1668 et conseiller d'Etat le 10 juillet de la même année. Il est l'auteur d'un grand nombre d'écrits théologiques et poétiques, énumérés dans la *Bibliotheca Belgica*. Il épousa Anne-Marie van Reynegom et mourut le 15 août 1686 (GAILLARD, o. c., t. III, p. 541).

ut in posterum ille articulus punctuate observaretur, et quia necdum habueramus responsum, a Regina : nos illum sub protestatione admittere, quam admisit, sed simul se protestari, non velle praejudicare juri Regis, si quod haberet.

Deinde praelecti sunt illi diversi articuli Laeti Introitus et fecit juramentum uti alii cancellarii ante ipsum fecerant, et deinde more hispanico, uti aiebat, omnes in statibus praesentes, amplexatus est ; Denique tradita sunt illi sigilla statuum quibus sigillari solent, litterae creationis redituum, et oblatum est illi honorarium mille florenorum, uti praedecessoribus illius quondam factum fuerat.

f° 154.

DIARIUM STATUUM BRABANTIAE AB 4^a JANUARI 1669 USQUE 1672 INCLUSIVE.

f° 155. — Anno 1669.

4 Januarii, Status receperunt apostillam a D. Gubernatore super requesta 17 et 18 decembris, et continebat, quod conferentia petita non posset concedi eo quod non judicaretur medium conveniens pro terminandis difficultatibus, sed scripto exhiberemus modum et formam quibus putaremus difficultates terminari posse.

Desuper praesentes per graffiarium curarunt convocari absentes magis vicinos, praesertim ad instantiam Antwerpiensium, quia officiales rurales patriae ex parte Gubernatoris conscripti fuerant pro facienda redemptione ruralis patriae, ab hospitatione Militum.

10 Januari, Resolutum ut repraesentaretur D. Gubernatori, quod conferentiam petiissent, ad ostendendum quod licentiae impositae essent contra privilegia, quae sine infractione sui juramenti, non poterant permittere infringi, quod si in conferentia possent edoceri impositionem licentarum non esse contra privilegia, quod collaborabunt in executione illarum pro majori servitio Regis ; et quod modus quo modo levantur, absolute sit contra servitium Regis, et in ruinam commercii — similiter contra privilegia esse contractare cum officialibus ruralis patriae, super exemptione patriae ab hospitatione militum ; si conferentiam indicent ; et satisfactionem statibus donent, quod anticipabunt solutionem unius mensis pro Militibus.

Item resolutum ut D. Mertens Pensionarius Antwerpiensis cum D. Advocato Sonnius, et D. Bouron argumenta pro et contra impositione licentarum deducerent, ut sic in omnem eventum Status parati esse possent, ad sui defensionem, in conferentia, si forte accorderetur.

Item actum, de juramento D. De Man admissi pro consiliario

Brabantiae (voir note 235), eo quod requesta illius esset producta in qua asserebat, se dedisse Regi pro donativo 12800 fl. Ut requesta repraesentaretur in consilio Brabantiae ne illam admitterent, donec nos audivissent et interim graffiarius Statuum illius admoneret de intentione et emissionem sui juramenti etc.

f° 155^{vo}. — *En marge* : « Groote Bede Brussel gesloten ».

Item hodie primum conclusus fuit computus majoris praecariae quarterii Bruxellensis de Anno 1666 qui solebat ordinarie concludi ante festum S. Joannis, vel ad summum in Augusto, sed receptor ita suum computum retardavit quia ob bellum et paupertatem ruralium nequiverat obtinere pecunias ad solvendum redditibus.

11 Januarii, *En marge* : Baro de Goyck in Hispaniam.

In Statibus generalibus resolutum ut Baro de Goyck solus iret in Hispaniam, esto Antwerpienses et Bruxellenses forte persisterent ulterius in sua opinione ut duo aut tres irent aut nullus ; et ut baro de Melsbroeck suppleret in Statibus absentiam Baronis de Goyck ; postea 22 Januarii Antwerpienses consenserunt in Baronem de Goyck ut solus iret.

Item Graffiarius Bouron deputatus est ut hesternum responsum deferret gubernatori.

12 Januarii. *En marge* : « Cleijn Bede Brussel gesloten ».

Conclusum est computus minoris praecariae quarterii Bruxellensis, qui concludi olim solebat ante festum S. Joannis et

En marge : Gubernator.

hodie sine ullo apparatu, Mechlinia venit Bruxellam D. Conestabulus, Gubernator Belgii etc. postquam ab Octobri elapso haesisset Mechliniae.

16 Januarii, D. Graffiarius tulit responsum de 10 Januarii D. Gubernatori, qui illi respondit, conferentiam petitam esse recusatam, interim se visurum responsum a nobis allatum, et desuper deliberaturum, et addidit Status Brabantiae esse in causa quod 4 millia militum diffugissent, et hoc ipsum se scripsisse in Hispaniam.

18 Januarii. *En marge* : « Broodt huijs ».

Resolutum, quod majori guldae Bruxellensi, pro usu sui cubuli in domo dicta « Broodthuijs » in quo Status a festo S. Joannis Baptistae usque primam Decembris congregati fuerant, quod morbus contagiosus infecerat domum Civicam, darentur pro honorario 24 sedes communes cereaceae, et Hussiario (sic) guldae, pro sua diligentia et quotidiana cubiculi apertione etc. 20 patagones.

(Note : le folio suivant n'est pas paginé dans le manuscrit).

22 Januarii, Antwerpienses retulerunt suum Magistratum consentire in Baronem de Goyck, ut juxta resolutionem duorum primorum Statuum et Lovaniensium solus iret Hispaniam.

23 Januarii, Resolutum ut D. Baroni de Goyck pro sumptibus itineris versus Hispaniam assignarentur 10^m flor. idque ex nummis pro oneribus camerae deputatis si aliunde haberi non possent, et quod dictus baro in tempore, desuper exhiberet computum.

En marge : Officiales rurales.

His diebus aula convenit cum officialibus ruralis patriae pro redemptione hibernorum eo quod Status, propter impositionem licentiarum, non promoverent subsidium elapsa aestate petitum et per duos primos status accordatum 20^m rationum etc. et ultra omnia damna et extortiones, quas rurales sustinuerant contribuere debebant.

Quarterium Antwerpiense	230 ^m flor.
Quarterium Bruxellense	140 ^m flor.
Brabantia Walonica	70 ^m flor.
Quarterium Lovaniense	9 ^m flor.
Quarterium Thenense	50 ^m flor.
Quarterium Arschotense	12 ^m flor.
Quarterium Sichemense	3500 flor.
Quarterium sive lijvanck Liranum	4000 flor.
Meerhaut, Vorst, Caggeven kempens	3500 flor.

S^a 522^m flor.

Item hoc tempore solverunt finantarii Militibus unum mensem stipendii seu placquillae ex proventibus licentiarum ad summam 130^m fl.

(Verso du folio non paginé).

En marge : Protestatio contra missionem in Hispaniam.

8 Februarii, Baro de Wemmel non ferens Baronem de Goyck tendere Hispaniam protestatus est de nullitate assignationis 10^m fl. pro sumptibus itineris de qua 23 februarii et de parapha facta per baronem de Melsbroeck et petiit extractum ex registro deputationis illius factae 11 Januarii.

11 Februarii, Ante meridiem Graffarius tradidit dicto Baroni de Wemmel extracta petita, et copiam ex registro suae protestationis, qui illico in meridie per hussarium Statuum Caproens, suam protestationem curavit insinuari D. Baroni de Melsbroeck ; et copias resolutionum de 23 Februarii et 11 Januarii tradidit alicui de Magistratu

Bruxellensi, qui post meridiem, per pensionarium suum et Burgimagistrum, protestati sunt, contra missionem Baronis de Goyck in Hispaniam et quod non intelligerent, ut sumptus itineris ejus portarentur ad aliquod gravamen Status generalis, quia voluerant aut tres destinari aut nullum.

Hoc putatur factum ad instantiam baronis de Wemmel qui alte fremebat contra istam missionem in Hispaniam et dixerat quod nullus iturus esset.

12 Februarii. *En marge* : « Vertrek van Goyck ».

Mane Baro de Goyck non opstantibus praefatis protestationibus, Bruxella discessit, tendens Hispaniam ; det ei Deus prosperum iter.

Eodem die post meridiem accepimus apostillam super requesta nostra, exhibita gubernatori 16 Januarii et instante pro habenda conferentia super impositione licentarum etc. ; et gubernator institit in prima sua resolutione de qua 4 Januarii, quod negasset statibus conferentiam requisitam. Et addebatur in apostilla quod Gubernator confideret de zelo Statuum, et quod continuarent levationem impostarum pro ferendis ordinariis oneribus desuper affectatis. Dicta autem apostilla erat de data 8 februarii et ultro per officialem D. Götignies secretarii consilii Status post meridiem data graffiaro Statuum.

f^o 156. — Deputati Statuum resolverunt dictam apostillam esse communicandam Statibus generalibus, et illum in finem conscribendos esse pro 22 Februarii.

15 Februarii, Communicata fuit deputatis Statuum apostilla super requesta maiori Thenensis praesentata consilio Brabantiae, qua interdicebatur Statibus executionem movere super solutione subsidii 550^m flor. de anno 1666 — sub praetextu quod non esset complete consensum, nec ab aula acceptatum.

21 Februarii, Pro prima vice comparuit in Statibus novus abbas Villariensis ²⁸⁹⁾ qui jam ultra biennium abbas fuerat, et simul etiam comparuit novus Abbas Gemblacensis.

Resolutum in congregatione generali, ut juxta apostillam de qua 12 Februarii scripto ostenderetur Aule repugnantia licentarum cum Laeto Introitu, et simul etiam quod redemptio ruralis patriae inita ex parte aulae cum officialibus ejusdem etiam privilegiis contrariaretur.

Insuper resolutum ut gubernatori significaretur, impostas debere proponi, et novam instantiam fieri, alias currere periculum ne brevi forte collectio sisteretur etc.

²⁸⁹⁾ Idesbald Willemart. 7 juin 1667, † 22 avril 1671 (J. J. Vos, o. c., p. 198).

22 Februarii, In generali congregatione Statuum actum est de protestatione Baronis de Wemmel, et hic putabat invertere assignationem 10 millium flor. pro itinere Baronis de Goyck per deputatos Statuum factam, allegans juxta regulamentum eorum, hoc excedere eorum potestatem ; et resolutionem assignationis esse factam in sua absentia ; Baronem autem de Goyck non potuisse desuper votare, utpote in propria sua causa, ac ea propter secundum statum hac in parte fuisse neglectum — facta deliberatione, primus, secundus et tertius Status, aberant autem deputati Civitatis Bruxellensis, approbaverunt factam per deputatos assignationem 10 millium flor. pro itinere Baronis de Goyck, quia iter decretum erat, et sine pecunia fieri non poterat etc.

Baro de Wemmel cum hanc assignationem annullare non posset, exclamavit contra suam spoliationem quod se inaudito 11 Januarii ei fuisset substitutus Baro de Melsbroeck, haec quaestio solum concernebat Nobiles, et quia aliqui eorum iudicabant desuper, primo dictum Wemmel admoneri debuisse et in eventum quo apostillare recusasset, tunc primum Baronem

f^o 156^{vo}. — de Melsbroeck substitui debuisse ; vigere coepit restitutionem suam in itegrum, et nisi amicabiliter darent, quod in concilio Brabantiae eam expeteret ; post nonnullas altercationes congregatio separata fuit.

23 Februarii, Baro de Wemmel reinstitit pro restitutione sua in itegrum, et lesionem suam valde exaggerabat, aliqui Nobilium tentabant medium accommodationis, sed cum nihil eorum quae offerebantur admittere vellet, iterum, re infecta dissoluta fuit Congregatio et controversia ad primam congregationem generalem remissa, de qua hic mentio sequitur.

Nobiles resolverunt ut in prima convocatione generali ex parte regis facienda, Nobiles conscriberentur pro sumenda resolutione an durante absentia D. Baronis de Goyck aliquem vellent substituere, et in eventum quo, ita eadem opera aliquem nominarent.

Prima Martii. *En marge* : « Audition » etc.

Abbas de Vlierbeke, Baro de Wemmel, et pensionarius de Vroy me renitente auditionem computus subsidii 400^m flor. de Anno 1665 redditus per thesaurarium van Assche elapso anno, sed necdum conclusi, auxerunt ad 10 dies.

2 Martii, Dictam resolutionem mutarunt, et quod in sequenti computu thesaurarii, ista consideratione dies auditionis augmentarent.

20 Martii. *En marge* : « Blijven sitten der natien ».

Nationes civium Bruxellensium, quia ultra diversas molestationes causabantur se indebite gravari super praetensa exactione « van geleij geldt » etc. et quod impostae levarentur, et non peterentur, manserunt in domo Civica sedentes toto hoc die noctibus et diebus sequentibus usque...

8 Aprilis. *En marge* : « Imposten ».

Congregati Status generales convocati per Cancellarium D. Fierlants, cancellarius pro prima vice fecit propositionem impostarum inchoatarum prima Junii elapsi anni, et finiendarum ultima Maii 1669.

Elapso anno duo primi status consenserant in dictis impostis et conjunxerant in subsidio 20 millium rationes etc. hinc resolutum, ut absque mentione facienda praetensorum simpliciter

f^o 157. — consensus ferretur in impostis pro uno integro anno jam fere elapso, sub certa fiducia quod super exhibenda remonstrantia super injustitia licentarum etc. illae abolerentur et sub aliis conditionibus ordinariis etc. die crastino limandis (?) et sub hac forma duo primi status consensus in impostis tulerunt.

En marge : « Substitutie aenden baron Goyck ».

Item plures nobiles solito congregati fuerunt, ad deliberandum utrum quempiam deputatum vellent substituere durante absentia D. Baronis de Goyck missi in Hispaniam.

En marge : Dongelbergh.

Abbates declararunt se non intelligere ut aliquem deputerent ad onus patriae, et se intelligere D. Baronem de Goyck debere trahere suas vacationes, ac si foret praesens.

Nobiles unanimiter deputarunt D. Baronem de Dongelberge sub tali recompensa, qualem tres Status ei assignarent, qua si nollet esse contentus, posset deputationi suae etc. renunciare.

Item pro prima vice intravit Status novus Baro de Contich et fecit juramentum etc.

9 Aprilis, Comes de Jet qui ab aliquibus annis intraverat uti baro de Rivieren, hodie suam sessionem coepit, uti comes de Sanctae Peeters Jet.

Item tres status assignarunt D. Baroni de Dongelbergh pro suis vacationibus durante absentia D. Baronis de Goyck deputato ; tantum quantum, D. de Goyck si praesens esset haberet et quod D. de Goyck remunerarentur (sic !) ex 10^m flor. illi assignatis. In hanc resolutionem etiam consenserunt deputati Civitatis Bruxellensis et notan-

ter D. van der Noot burgimagister; et sic contrariatus fuit, suae protestationi factae 11 Februarii supra. Nonnulli abbates dictae resolutioni contrariati sunt, sed pluralitas vocum importavit etc.

Item assignarunt D. Baroni de Pellenbergh, pro suis vacationibus in faciendo et colligendo computu, quarterii Lovaniensis super damnis illatis per milites praecedenti autumnno etc. ultra 50 flor.

illi solutos 240 florenos.

Item lecta fuit opinio duorum primorum Statuum super impostis.

Item requesta quae praesentaretur D. Gubernatori super abolitione licentarum.

Item deliberatum utrum comes de Goyck instaret Matriti apud reginam pro abolitione licentarum nomine trium Statuum an vero tantum sub nomine Antwerpiensium qui hoc illi commiserant; resolutio dilata fuit in crastinum.

(Remarque : les folios 157, 157^{vo} et 158 sont en blanc).

f^o 158^{vo}. — 10 Aprilis, Resolutum ut committeretur D. Baroni de Goyck ut nomine trium Statuum ageret apud reginam pro abolitione licentarum.

Item coram cancellario aperta opinio duorum primorum Statuum super impostis.

Item ad instantiam Universitatis Lovaniensis, tres Status me deputarunt ad audiendas infractiones suorum privilegiorum.

Item ceperunt legere deductionem D. Sonny factam ad ostendendum licentarum impositionem repugnare privilegiis Brabantiae.

12 Aprilis. *En marge* : vander Cruyce.

Resolutum ut ex impostis de quibus 8 Aprilis praecedenti ubi fuerunt plenariae accordatae solveretur heredibus vander Cruyce summa 25^m flor. cum exclusione omnium ordinationum quae ex parte finantiarum statibus possent obtrundi, idque ideo quia Status aliquot centena millia in fine computatorum cum finantiis putarent se habituros bona, seu quod Rex illa statibus deberet; summe autem commendatum est silentium ne haec resolutio in palam veniret.

Ajoute : 1669, 12 Aprilis, dedi D. Bouton deductionem D. Sonny cum chartis et libro statuum et D. Goyck etc.

6 Maii, Cancellarius attulit actam acceptationis impostarum in qua dabatur spes moderandi licentia et faciendi quod servitium regis et bonum patriae requireret.

Burgimagister Antwerpiensis exhibuit copiam instructionis data D. le Roy quondam commissario finantiarum et D. Vranxen Consi-

liario Brabantiae, informandi sese super abusibus qui committebantur in levandis licentis qui 4 hujus fuerunt Antwerpiae, et inde tendebant ad fortalitium S. Mariae.

Item Cancellarius referebat quod in consilio Status, intellexisset aliquos aspirare ad officium custodiae chartarum Brabantiae, et quod illud reliqui non deberet D. Stockmans qui est consiliarius consilii privati, utpote persona, non subjecta Brabantiae, et indicabat quod illud rursum deberet committi Cancellario Brabantiae, uti ante hoc fierat.

Item lecta fuit Epistola D. Baronis de Goyck Madrito scripta D. Graffiaro Bouton, et resolutio dilata in crastinum.

fº 159. — 7 Maii, Quia tantum duo extraordinarii Statuum scilicet Abbas Diligemensis et baro de Poederlé comparuerunt, resolutum fuit ut Status generales convocarentur pro 16 hujus ad resolvendum super Epistola D. Baronis de Goyck.

13 Maii. *En marge* : Goyck.

Baro de Wemmel putabat excludere D. Baronem de Goyck ab auditionibus computus a die discessus sui Hispaniam, tandem me agente resolutum fuit ut haberetur praesens usque ad diem substitutionis D. Baronis de Dongelberge, sic tamen ut vacationes hae, ipsi non solverentur nisi prius docuisset de 10^m fl. ipsi assignatis pro itinere hispanico, et Status resolvissent quid illi assignarent pro suis vacationibus.

17 Maii. *En marge* : Missio hispanica.

In congregatione generali expresse per graffiarium convocata ad rescribendum super Epistola D. Baronis de Goyck de qua 6 et 7 Maii, quia necdum iteratas Epistolae D. de Goyck quae expectabantur, destinatae erant, in crastinum fuit dilata deliberatio, interim quia diversi in civitate et baro de Wemmel, reprehendebant missionem D. de Goyck Hispaniam ad occludenda eorum ora curaveram per graffiarium trahi ex registro, cuncta quae jam fere a biennio resoluta fuerant super missione in Hispaniam ; et coram Statibus lecta fuerunt ;

Deinde nonnihil inter me et Baronem de Wemmel altercatum fuit.

In fine baro de Wemmel incepit iterum movere apud Nobiles, ut illi daretur satisfactio super spoliatione sua et substitutione D. baronis de Melsbroeck de quibus supra 11 et 23 Februarii et

18 Maii. *En marge* : Missio hispanica.

Graffiarus retulit heri post meridiem se litteras recepisse a

D. Barone de Goyck quas et legit sicuti praecedentes, et cum per graffiarium peteretur quid desuper dicto baroni responderetur, Episcopus Antwerpiensis noluit desuper quidquam resolvere dicens se nunquam consensisse in missionem hispanicam, in quo baro de Wemmel ipsi secundare studuit.

Cum autem resolutio peteretur super quaesitis D. de Goyck et ad me veniretur dixi prius resolvi debere an Domini judicarent ex relatis ex registro et heri lecto, patere aut non patere, D. Baronem de Goyck ex commissione trium

fº 159^{vo}. — Statuum missum esse Hispaniam aut non, eo quod ab aliquibus videretur spargi, et conestable scripsisset Hispaniam eum tantum missum esse per duos primos Status et non per tertium, Episcopus Antwerpiensis, videbatur de eo dubitare; sed omnes reliqui nisi Status et graffiarium vellent facere falsarios, teneri deberi indicarunt ex parte trium Statuum missum fuisse: sed deputati Civitatis Bruxellensis desuper dixerunt se persistere in pristina sua resolutione, quod non consenserunt in missionem D. Baronis de Goyck, ut solus iret, sed quod tres debuissent ire; et fatebantur quod ante discessum D. de Goyck praesentaverint libellum D. Conestable, in quo exponebant Status resolvisse mittere Hispaniam D. baronem de Goyck et quod ipsi sustinerent tres debere destinari, ex unoquoque Statu unum, et desuper requirerent scire mentem D. Conestable — sed quod illam ipsis non explicuisset. Deinde D. vander Noot burgimagister conquerebatur quod ego dixissem quod si Bruxellenses consentirent aut non, quod equidem in Hispaniam mitteretur, Civitatem autem Bruxellensem non sic tractari aut despici velle.

Item conquerebatur quod in hesterna epistola baro de Goyck scriberet quod acceptasset solus ire in Hispaniam quod si autem Status aliquem cum ipso vellent condeputare, quod prius vellet scire quis esset, antequam vellet acceptare onus Hispaniam tendendi — quasi vero aliqui de Collegio scaliosi essent, ut ejus consortium non mererentur. Resolutio autem tulit quod nomine trium Statuum promoveretur executio deputationis, D. Baronis de Goyck.

Post meridiem resolutum ut Abbas Vladderbacensis baro de Dongelbergh et burgimagister Antwerpiensis, cum graffiaro deputati accederent Gubernatorem, conquesturi quod ipse scripsisset Hispaniam baronem de Goyck non esse deputatum quam a duobus Statibus et rogarent quatenus executionem deputationis vellet promoveri etc.

Item scriberetur D. de Goyck ut in eventum quo regina perseveraret negare audientiam, hoc referret suis principalibus etc.

f° 160. — Item si daret illi licentiam redeundi, hoc ipsum nuntiaret suis principalibus, et a regina suam licentiam peteret in scriptis; quod si regina absolute mandaret ut illico reverteretur Brabantiam, obediret.

19 Maii, Graffiarius retulit se heri cum D. D. deputatis habuisse favorem audientiam apud gubernatorem, illum fuisse oblitum dedisse licentiam mittendi in Hispaniam et miratum fuisse quod D. Goyck haberet in Hispania copiam suae licentiae, litteras et instructionem nomine trium Statuum expeditas, se postulasse, ut illam deputationem unice in servitium suae Majestatis et conservationem patriae factam favorisare, et secundare vellet, ipsum autem bis terve rogasse, qualiter illum juvare posset, et deputatos respondisse ut secundaret eo modo quo convenire judicaret.

Baro de Wemmel audiens hanc relationem confundebatur, et dicebat gubernatorem adhuc fuisse novitium quando hanc licentiam dederat, et ipsum modo desuper paenituisse etc. sed haec fingeat.

20 Maii. *En marge*: « vacatien vande baron Goyck ».

Disceptatum fuit an scriberetur reginae pro informatione illius ad audiendum D. de Goyck, Nobiles non potuerunt concordari ad scribendum.

Item quid daretur D. de Goyck pro sumptibus itineris sui, conveniunt, quod solverentur expensae illius in itu et reditu, et insuper darentur 12 flor. per diem, pro tempore vero quo Madriti maneret, ipsi scriberetur quid mallet, an 24 flor. per diem, an vero 12 flor. pro suis vacationibus, et insuper expensas suas, in eventum quo hoc postremum eligeret, ex nunc specificaret quid inferre intenderet, in expensas, ut visa illius intentione resolveretur.

Item resolutum quod D. de Goyck mitterentur acta renovationis juramenti Laeti Introitus, et sollicitaret ratificationem a Regina, quam addixerat se procuraturum D. Gubernator Castel Rodrigo.

21 Maii, Nihil speciale ob indispositionem graffiarii actum fuit.

22 Maii, Resolutio de 20 Maii super indemnitate D. Baronis de Goyck praelecta fuit deputatis Bruxellensibus scilicet D. vander Noodt burgimagistro, et vander Hecke scabino, et approbarunt.

f° 160°. — Post meridiem cum dicta responsio Bruxellensium repeteretur, D. vander Noodt burgimagister Bruxellensis obmurmurabat, dicens captiose hoc ipsis hodie ante meridiem fuisse propositum, se non posse consentire in aliquod gravamen, nec posse resilire

a protestatione per Bruxellenses facta, contra deputationem D. de Goyck, eamque ipsos non approbare.

Nota. — Putatur quod D. baro de Wemmel ipsum sic informaverit.

24 Maii, Resolutum ut per receptorem Antwerpiae possent dari burgimagistro loci usque ad 400 patagones ad facilitandum apud plebem consensum in impostis.

Item officium hussarii sive « knaep », comptorii Antwerpiensis et simul scribendi seu registrandi, exeuntia civitate, datum est Everardo Petit famulo D. Parys receptoris Antwerpiensis, idque durante indispositione Joannis van Aken qui illud optinebat.

31 Maii, Cum terminus impostarum expiraret, et deberent deputari collectores pro sequenti termino, nulli se ad hoc praesentaverunt, quod omnibus causavit admirationem.

Vespere me convenit agens principis Orangiae instans ut Abbates procurarent complementum contractus quem signaverant ante conclusionem pacis Hollandicae Anno 1647.

Item lecta fuit epistola D. Baronis de Goyck, qua nuntiabat sibi ex parte Reginae nuntiatum esse, quod deberet habere epistolas a gubernatore belgii, antequam posset admitti ad audientiam, illas impetraret, et tum favorabiliter a regina audiretur. Resolutum ut in diem crastinum viciniore convocarentur quod factum est.

Prima Junii, Resolutum ut dictae epistolae a Conestabulo peterentur et in hunc finem deputati sunt Abbas Diligemensis, baro de Dongelbergh et burgimagister Lovaniensis, et graffiarius, qui simul tradere debebat deductionem factam contra impositionem licentarum.

Post meridiem dicti deputati retulerunt Conestabulum illis frigide respondisse quod requisitas epistolas ad Reginam daret quando Bruxellensis Civitas consensisset in deputationem D. Baronis de Goyck.

fº 161. — Cumque nostri deputati ei volebant explicare dissensum illius non posse obsistere etc. interrupit illos, et cum non haberet quod ex tempore responderet, jussit ut darent scripto.

3 Junii, Resolutum ut scripto ostenderetur gubernatori dissensum unius civitatis in deputatione unde quaestio, non obstare etc. quo minus deputatio sub nomine trium Statuum executioni mandaretur.

Interim pro tentanda via concordiae missus fuit graffiarius ad Magistratum Bruxellensem ad illum inducendum quatenus se confor-

maret aliis civitatibus ; et quia erat dies secunda dedicationis et pauci de magistratu congregati, resolutio dilata in crastinum.

7 Junii. *En marge : Impostae.*

Cancellarius etc. proposuit impostas inchoandas quinta Junii et finiendas ultima Novembris, sicque pro medio anno, duo primi Status consenserunt in easdem sub conditionibus uti ante.

Item Pago de Noirmont accordata ut dequitatio suarum restantiarum in subsidiis etc. et arrieragia in praecaria ordinaria solveret Dominus Pagi, ex assignatione illius per finantias data super Status etc.

Item lecta et approbata fuit remonstrantia danda gubernatori de qua 3 Junii et non obstante quod burgimagister vander Noot insisteret, quod dissentiente civitate Bruxellensi, non posset exhiberi sub nomine trium Statuum Brabantiae, resolutum tamen fuit quod sic praesentaretur.

Quaesitum fuit, quid faciendum in eventu quo gubernator super dicta remonstrantia, non resolveret, sed nihil resolutum.

Usque 1 Julii fuerunt vacantiae.

1 Julii, Graffarius retulit quod remonstrantiam de qua 3 Junii et 7 Junii dedisset gubernatori, deinde legit duas epistolas quas receperat Hispania a D. Barone de Goyck, et resolutum ut instaretur apud gubernatorem pro habendo responso super dicta remonstrantia quatenus cum jam proximo cursore posset rescribi dicto baroni, et quia gubernator erat Antwerpiae eo destinati sunt D. D. Abbas Diligemensis, baro de Dongelbergh et graffarius, et Antwerpiae assumerent burgimagistrum, et simul peterent resolutionem, super longa remonstrantia concernente licentias.

3 Julii, Dicti deputati Antwerpia reduces, retulerunt post meridiem gubernatorem respondisse, se Antwerpiae vocare

f^o 161^{vo}. — super admiralitate maris, se millas chartas secum tulisse et primo die Bruxellam se reversurum, et tum responsum se daturum super remonstrantia concernente deputationem D. baronis de Goyck in Hispaniam ; et quoad licentias dicebat se desuper nihil mutare posse, sed quid Status ea in re actum vellent se deberent transferre in Hispaniam et ibidem rem illam Reginae proponere etc.

Hinc resolutum ut graffarius scriberet Baroni de Goyck quanam, cum gubernatore acta essent, et simul pro illius instructione, transmitteret copiam remonstrantiae exhibitae gubernatori. Baro de Wemmel qui semper deputationi D. de Goyck contrarius fuerat, di-

cebat se nihil habere scribere dicto D. Goyck, sed quod referret se ad resolutionem aliorum etc.

2 Augusti, In generali Statuum congregatione ratione actae acceptionis super impostis expresse convocata ad resolvendum super salario et intertentione D. Baronis de Goyck.

En marge : B. Goyck salaris in Spaignien.

Resolutum fuit ut ipsi solverentur omnes expensae factae in itinere usque Madritum inclusive, et similiter etiam faciendae in reditu, et insuper pro singulis diebus suae itinerationis 12 floreni pro vacationibus et solverentur etiam jocalia quae emerat pro faciendis hinc inde honorariis Madriti a die autem quo Madritum venit usque ad diem quo inde discederet, solverentur illi mille floreni per mensem, tam pro sua intertensione vestibus quam vacationibus, et sua proportionate disponderet, se et famulos vestiret prout inde honorem habere vellet ; si tamen aliquas expensas particulares faciendas esse judicaret in tractatione aliquorum etc. hoc ipsi peculiariter refunderetur, sicuti et portatoria litterarum.

3 Augusti, Additum ut ego et baro de Dongelberge examinaremus statum transmissum expensarum in via, et illum donaremus juxta discretionem etc.

Item deputati Statuum autorisati sunt scribere in Hispaniam ad juvandam et dirigendam deputationem D. de Goyck juxta exigentiam circumstantiarum.

f^o 162. — 14 Augusti, Deputati Statuum inceperunt suas vacantias et protraxerunt usque 1^m Octobris, ego autem tantum comparui 7 Octobris post meridiem.

12 Octobris. *En marge* : « Subsidie geproponeert ».

Per Cancellarium propositum est subsidium 12 centum millium flor. ultra impostas, inveniendum super omnibus bonis tam silvis quam feudis etc.

Nobiles videntes quod illa via ipsi cogerentur etiam contribuere, voluerunt vocari ducem Arschotenum et ducem de Bournonville, ut illam viam apparenter possent impedire, resolutum ut omnes absentes vocarentur in perendum.

Item lecta requesta Universitatis Lovaniensis pro deputando Romam etc. sed nihil resolutum.

Post meridiem deputati Statuum contulerunt officium « affscrijver vande imposten » etc. Antwerpiae famulo receptoris D. Parys de quo supra 24 maii 1669.

22 Octobris, In Statibus generalibus resolutum, ut deputandis ex

parte Universitatis Lovaniensis Romam pro conservatione privilegiorum suorum, ex parte Statuum Brabantiae, etiam daretur commissio, etc. et deputati Statuum autorisati sunt ad illam concipiendam et ordinandam.

Insuper resolutum ut desuper daretur informatio Gubernatori, et sciberetur Reginae, quatenus mandaret suo legato Romae adsistere Lovaniensibus etc.

Insuper resolutum ut pro subsidio deputandorum solverentur 1800 floreni.

Item resolutum ut instaretur apud gubernatorem quatenus chartae Brabantiae quae a biennio ob bellum Vilvordia fuerant translata Bruxellam, iterum referrentur Vilvordiam; eo magis quod illi de camera computus pretenderet habere inspectionem et custodiam etc.

Item facta relatione sumptuum D. Baronis de Goyck Madriti, resolutum ut illi submitterentur 3000 flor. pro subsistentia trium mensium etc.

f^o 162^{vo}. — 25 Octobris. *En marge* : « *Opinie over 't subsidie van den 21 october* ».

Primum cepit deliberari super proposito subsidio 21 Octobris, et dux Arschotanus cum Marchione de Westerloo incoepit perorare super privilegiis Nobilium. Nobiles in hoc solum distingui ab ignobilibus, quod essent exempti a taxa in praecariis et subsidiis, quod non deberent nec possent se ita deicere ut redderentur civibus et rusticis equales, nuper ministros regios; in tantum stetisse pro exemptione ab impostis, ut non obstantibus omnibus moliminibus in contrarium factis, manu tenuerint suam exemptionem.

Hinc omnes Nobiles praesentes, excepto Barone de Wommel, resolverunt se non posse consentire in pede proposito ab aula, et in quem tamen Abbates consentiebant, ut nimirum subsidium levaretur super generalitate omnium bonorum seu proventuum eorundem scilicet quinque ex centum, quia tamen secundus Status sustinebat, quod Nobiles inde laederentur, absque alia resolutione, sessio fuit separata.

26 Octobris, Resolutum ut ex duobus primis Statibus tres convenirent et consultarent quomodo coadunari possent.

27 Octobris, Resolutum ut contra Civitates via juris procederetur si primum aut secundum Statum indebite et contra justitiam gravare intenderent, petitum subsidium levaretur juxta summam accordandam mediatim via seu pede ordinaria praecariae et mediatim via

seu pede ordinariae praecariae et mediatim via impostarum, quod si Civitates hanc viam ingredi nollent, conditionaretur, quod defectus quotae illarum non posset exigi a patria rurali etc. et quia Civitates non possent induci ad hunc pedem in eventum quo propositio maneret in terminis in quibus proposita fuit, resolutum ut instaretur pro facienda mutatione propositionis itaque

28 Octobris, coram cancellario lecta est opinio duorum primorum Statuum qua resolvebant super dicta propositione opinari non posse, eo quod esset in libertate Statuum, eligere pedem quem judicabant convenientiorem, et pes propositus super « hemelse breijde » executioni mandari non posset ante factam « hertellinge » pro qua tam diu institerunt, proinde propositio mutanda esset etc.

f^o 163. — Cancellarius ad hanc resolutionem excanduit et dixit, esse protestationem contra regiam Majestatem et proterve addebat se facturum relationem etc. Dux Arschotanus eum leniri studuit, et sic exivit.

29 Octobris. *En marge* : « Opinie over 't subsidie van den 21 october ».

Unanimi omnium consensu resolutum a duobus primis Statibus ut subsidium levaretur super caminos et aratra, imponendo singulis unum patagonem, et impostae influerent, detractis communibus oneribus, et si quid deesset emitteretur via praecariarum, et in eventum quo Civitates hunc pedem sequi nollent via juris contra ipsos procederetur etc. et sic resolutio capta 21 Octobris ex parte immutata est.

30 Octobris, *Me renitente* resolutum ut conditionaretur quod ex parte regis seu finantiarum solveretur tertia pars subsidii ex licentis quae invitis Statibus solvebantur, et accordarentur 20 millia rationum ad 4 stuferos per singulos dies, et ultra proventus caminorum etc. impenderentur impostae, et tria millia rationum cederent in utilitatem statuum ad solvenda ipsorum arrieragia etc. — et prima futura congregatione, horum exacta fieret supputatio.

27 Novembris, Dux Arschotanus me convenit vesperi, et simul baro de Dongelberge cum graffiario Bouton, et explicuit quoniam in aula cum gubernatore, et Ministris acta fuissent super mutatione propositionis subsidii. Quod gubernator valde esset offensus contra Status et Antwerpienses, quod ei dixisset, Regem velle manutenere licentias, esto idcirco deberet patiurbationem Status et patriae, quod Antwerpienses vi cogerentur ad obedientiam et rationem etc. quod illum interrogasset quidnam Baro de Goyck, ageret in Hispania ? et se a gubernatore discessisse, cum discontentamento et illius

et suo. Addidit multa, de genio et intentione gubernatoris, et comitis Penerande, super desertione Belgii residui etc.

f^o 163^{vo}. — 2 Decembris, Cancellarius comparuit in Statibus et praelectis litteris credentiae ad faciendam novam instantiam verbotenus tantum est exhortatus Status quatenus consentire vellent in subsidium 21 Octobris petatum, idque sub pede « vande hemelse breijde », et in eo contribuerent feuda et silvae, quae hucusque in praecariis non contribuerant, addens tamen Status ad hunc pedem non adstringi.

Item adhortatus est, pro continuatione impostarum, et ut Civitates vellent inferre consensum seu opiniones suas in impostis trium terminorum ultima Novembris jam elapsorum.

Responsum fuit impostas scripto proponi debere, et Civitates conscribi debere ad hoc ut opiniones suas inferrent; et rogatus fuit, ut novam suam instantiam scripto traderet.

Respondit Cancellarius non aliud se habere in mandatis, quam verbotenus proponendi, fatebatur tamen impostas scripto proponi debere, et in exitu, dicebat graffiario sibi expresse prohibitum fuisse ne novam instantiam scripto faceret.

Mandatum fuit graffiario ut informaret Concilium Status super praefatis, et ostenderet non esse novum mutare propositionem, et simul indicaret quod duo primi Status procederent ad resolvendum sed praeviderent malum effectum qui deinde apud Civitates sequeretur.

3 Decembris, Retulit Graffiarius D. Denetières, thesaurarium finantiarum, ipsi dixisse, quod Cancellarius habuisset in mandatis facere novam propositionem subsidii, et quod ipse Cancellarius etiam ei indicasset convenire ut fieret nova propositio subsidii.

4 Decembris, Accepimus Epistolas antedatatas ad conveniendum prima Decembris Bruxellas ad audiendas opiniones Civitatum super impostas praeteritas trium terminorum etc.

f^o 164. — Hinc duo primi Status expectabant faciendam novam propositionem per Cancellarium et persisterunt in resolutione capta 29 et 30 Octobris et quia cancellarius diutius herebat

7 Decembris, omnes Abbates ad propria redierunt putantes rem factam et conclusam esse sed

8 Decembris, habitum fuit consilium Status et Statibus relatum non faciendam novam propositionem; nullatenus ab aula acceptandum, ut tertia pars subsidii solveretur a Rege; neque illam velle ut impostas influerent in subsidio. Hinc

9 Decembris, a nobilibus praesentibus tantum Vladderbacensi mecum ex primo Statu deliberatum quid facto opus esset, et in diem crastinum resolutio dilata fuit.

10 Decembris. *En marge* : « Nieu opinie op het subsidie van den 21 october ».

Per Nobiles acquiescentibus Vladderbacensi et Diligemensi mecum ex primo statu resolutum ut ex 1200^m petitis accordarentur 800^m invenienda super caminos et aratra et residuum emitteretur via praecariarum ; et quia non dubitabatur quin Civitates hunc pedem rejicerent, ego maluissem ut subsidium fuisset levatum per 10 aut 20 nummum omnium proventuum. Hinc inculcavi Nobilibus ut se disponerent ad defendendam suam resolutionem contra futuram oppositionem civitatum quod sponponderunt se facturos.

12 Decembris, Rursum duo primi Status aliquam mutationem fecerunt, et resolverunt loco quod residuum inveniretur via praecariarum uti dixerant 10 Decembris, inveniretur per reiterationem taxationis caminorum, ne daretur civitatibus ansa intrandi viam praecariarum etc.

(f° 164 et 164^{vo}, en blanc).

(f° 165, en blanc).

f° 165^{vo}. — 18 Decembris, Recepimus actam a Gubernatore signatam quod de dicto subsidio 100 millia flor. retinebuntur a Statibus pro exsolutione suorum debitorum.

En marge : « Openinge vande opinie der subsidie, item van de imposten ».

Item eodem die dicta opinio duorum primorum statuum coram Cancellario lecta et aperta est.

Item lectae sunt opiniones Civitatum super impostis censis ultima Novembris 1668 et ultima Maii 1669, et Bruxellenses cum Lovanien-sibus adferebant consensum, Antwerpienses vero dissentiebant, Magistratus se conformabat cum duobus primis Statibus, seniores Sacabini consentiebant, sub conditione quod licentiae impositae abolerentur, sed « Wijckmeesters » et « goede mannen » absolute negabant consensum et volebant quod impostae quae in Civitate solutae fuerant cederent in utilitatem Civitatis.

Super termino autem cesso ultima Novembris 1669 civitates non intulerunt opiniones suas.

En marge : « Propositie vande imposten ».

Item Cancellarius nomine Gubernatoris petiit consentiri impos-

tas pro uno anno inchoato prima Decembris et terminando ultima Novembris 1670.

Item post meridiem Receptor vanden Velde intulit in computum impostarum de Anno 1667, 12500 flor. quos per abusum in computu impostarum Anni 1657 omiserat inferre, et ego errorem detexeram etc.

20 Decembris, Duo primi Status consenserunt in impostis pro uno anno incipiendo prima Decembris et finituro ultima Novembris anni 1670, et postularunt ut fieret nova lysta eorum qui tenerentur ab impostis liberi, et ut illis daretur certa taxa, idque ad evitandas fraudes.

21 Decembris, Coram Cancellario dicta opinio aperta fuit.

fº 166. — Anno 1670.

14 Januarii, Attulit Cancellarius actam acceptationis super impostis 20 Decembris accordatas, et fuit conformis opinioni duorum primorum Statuum, et Gubernator affirmavit se Hispaniam misisse suum advisamentum super impositione licentarum, et hoc tam favorabiliter quam potuit etc.

Item Cancellarius dixit privatim graffario, ex parte gubernatoris se accepisse epistolam, ne processus Statuum contra Civitatem Bruxellensem, in concilio decideretur.

21 Januarii, Cancellarius attulit actam acceptationis super subsidio accordato 10 et 12 Decembris, quae fuit in omnibus conformis cum opinionibus duorum primorum Statuum.

Item praevia expressa convocatione Statuum petiit Cancellarius quatenus 2 primi Status vellent recedere a sua opposita conditione, Modo tertius Status sequatur in consensu impostarum pro tribus terminis elapsis ultima Novembris 1668 et ultima (et ultima) (sic) Novembris anni 1669, quia opiniones tertii Status de quibus 18 Decembris 1669 non erant conformes; resolutio dilata in crastinum.

Item quia miles a multis mensibus non acceperat aliquam solutionem, D. Dennetières ab aliquot diebus curaverat convenire officiales ruralis patriae, pro facilitanda seu acceleranda anticipatione, et quia aula anticipationem vigeat et periculum erat in mora duo primi Status requisiverunt advisamentum deputatorum tertii Status, qui responderunt se super facienda anticipatione non posse resolvere, quia non essent ad hoc autorisati nec convenire ut Antwerpiae magistratui proponeretur, unde Antwerpienses et Lovanienses dicebant ut duo primi Status cum rurali patria convenirent pro anticipatione facienda ipsi se non essent

f° 166^{vo}. — opposituri, quidnam Bruxellenses dixerunt non bene potui intelligere.

Hinc duo primi Status commiserunt suis deputatis ut agerent cum officialibus ruralis patriae super facienda anticipatione.

22 Januarii, Officiales praefati comparuerunt in camera Statuum et injunctam est illis ut anticiparent pro duobus mensibus summam 220^m flor. aut circiter ad ratam quo camini protulerant Anno 1638 in quem finem singulis pagis mitteretur quantum dicto anno solvisent etc.

Item duo primi status resolverunt antequam recedere possent a conditione *si tertius Status sequatur* etc. supplicandum esse gubernatori quatenus fieret Antwerpiensibus nova instantia pro impostis duorum terminorum cessorum ultima Maii 1669 — nam pro termino cesso ultima Novembris 1669 adhuc nihil concludi poterat quia nec Lovanienses nec Bruxellenses suas opiniones intulerant.

23 Januarii, Haec resolutio coram Cancellario aperta est.

24 Januarii, Graffarius mihi retulit D. Dennetières dictam resolutionem valde aegre accepisse, seque nescire quomodo illam poterit indicare Gubernatori.

3 Februarii. *En marge* : « Wemmel ».

Cum Baro de Wemmel jam saepius apud civitates denigrasset opinionem duorum primorum Statuum de levando subsidio via caminorum etc., et hodie adhuc faceret, monitus a Barone de Dongelberge, dixi baroni de Wemmel quod non deberet impugnare opinionem duorum Statuum, sed illam propugnare et exequi, ad quod excaudit dicens me non debere illum corrigere, et si essem ei similis, quod se de me vindicaret, respondi me non portare gladium, replicabat quod ideo essem tam audax etc. et post nonnulla verba ad alia processum fuit.

f° 167. — Post meridiem in absentia deputatorum Civitatum resolutum fuit ut satisfaceret per thesaurarium duobus cohortibus Roxas et Sepeda, esto baro de Wemmel repugnaret etc. qui adhuc erat in sua colera.

25 Februarii, Fuit congregatio generalis Statuum ad resolvendum super propositione facta 21 et 22 Januarii, eo quod duo ultima membra civitatis Antwerpiensis recusassent super iterata instantia in impostas consentire. Sed quia burgimagister Halmale referebat quod aliqui de penultimo membro ipsum rogassent ulteriorem diem cum spe afferendi consensus, resolutum fuit ut usque ad illum diem

expectaretur, et interim hoc significaretur gubernatori et indicta est dies iteratae convocationis in

3 Martii, quo die relatum est quod penultimum membrum in impostas usque ad 26 Augusti 1669 consensissent quo die Antwerpiae contoria clausa fuerunt, et quod ultimo membro hodiernus dies assignatas esset pro ultimo termino et spes esset consensus, hinc in diem crastinum expectandum.

Post congregationem, Abbates Vladderbacensis, S. Michaelis, ego, Tongerloensis et Diligemensis remanserunt, et retuli pro sumenda informatione in Abbatia vacante Grimbergensi²⁴⁰) commissarios esse deputatos 1^o loco Cancellarium 2^o loco D. Gottignies canonicum S. Gudulae denominatum Episcopum Ruremondensem et tertio loco Abbatem Heylissensem ; hactenus autem Abbates Ordinis collocatos fuisse primo loco, et non esse solitum tres deputare sed tantum duos ; et ab hinc 10 aut 15 annis quando Cancellarii praetenderunt non cedere Abbatibus, scriptas fuisse ex parte Gubernatoris cumque commissario distinctam Epistolam, nunc autem in praedicta commissione aperte Abbates postponi. etc.

Resolutum ut per Graffiarium desuper fieret remonstrantia Gubernatori, et ego desuper etiam scriberem D. Abbati Heylissensensi quatenus moras traheret.

f^o 167^{vo}. — 4 Martii, Renuntiatum fuit ultimum membrum Antwerpiensium consensisse in impostas usque ad 26 Augusti Anni 1669 quando curaverant claudi comptoria impostarum.

6 Martii. *En marge* : « Imposten ».

Coram Cancellario lectae sunt opiniones trium Civitatum super impostas.

7 Martii, Declararunt duo primi Status esse sufficientem consensum pro impostis unius anni finiti ultima Maii 1669 et usque ultimam Maii 1670, consensum esse per Lovanienses et Bruxellenses non autem per Antwerpienses.

Item quia plures livrantiae solutione militum expediebantur a finantiis quam decima pars subsidii importabat resolutum ut desuper fieret remonstrantia Gubernatori, et etiam Graffiarus cum duobus deputatis loquerentur, Domino Pimentel quod et factum est et

8 Martii, retulerunt D. Pimentel putare non aliam esse intentionem D. Gubernatoris quam sequi conditiones subsidii, et quando

²⁴⁰) Josse van der Elst, prélat de Grimbergen étant décédé le 21 février 1670, son successeur Laurent Bogaerts ne fut élu que le 21 octobre de la même année.

ruralis patria in illo quotam suam exsolvisset, quod amplius non molesteretur etc., sed defectus quaereretur super Civitates, quae in mora manerent consensus, et se non magis aestimare, reducere Antwerpiam ad suam metam, quam villas de Scarenbeke aut Anderlecht.

10 Martii. *En marge* : de Vroye.

Post meridiem deputati Statuum me renitente et D. Barone de Dongelberge donaverunt D. Vroye pensionario Lovaniensi honorarium 300 flor. intuitu actus licentiae duorum suorum filiorum in fine Februarii exerciti.

10 Martii, Deputati Civitatis Bruxellensis fecerunt duobus primis Statibus formalem queremoniam super nonnullis punctis insertis in opinione illorum in subsidio de quo 10 et 18 Decembris 1669.

f° 168. — 19 Martii, Deputatus una cum Barone de Dongelberge et Graffiaro Bouton adfui gubernatori, et inter alia praesentavi libellum nomine praelatorum primi Status Brabantiae quatenus, in electione futura Abbatiae Grimbergensis vacantis, commissarii deputarentur, ore hactenus servato etc.

22 Martii, Cancellarius attulit actam acceptationis super impostis censis ultima Novembris 1668 et ultima Maii 1669.

22 Aprilis. *En marge* : Marmol.

Ratione Epistolae Gubernatoris praescribentis ut Status agerent cum D. Marmol superintendente militiae Brabantiae etc. Status voverunt rescribi Gubernatori se hactenus semper immediate egisse cum Gubernatore aut primis ministris finantiarum aut consilii Status, et rogabant in eo manuteneri.

Item resolutum fuit ut eidem exhiberetur status solutionis factae ex prima anticipatione patriae ruralis super subsidio 800^m flor.

Item proponeretur gubernatori quatenus pro equitibus circa loca praesidiorum possent conduci aliqua prata, quae super solutione illis facienda defalcaretur, ut caetera prata possent servari immunia et libera.

23 Aprilis, Resolutum ut ex impostis elocatis censis in Maio 1669 solveretur cohortibus ordinariis Brabantiae sicuti et pabula assignata Comiti de Marchin generali exercitus.

Item resolutum ut rescriberetur Baroni de Goyck cum haberet suam apostillam clausa littera etc. a Regina caperet suam veniam, et scripto peteret sibi dari dimissionales, quae si negarentur, rediret sine illis in quem finem et transmissae sunt litterae cambiales pro pecuniis etc.

27 et 28 Aprilis, Gubernator et Finantiae institerunt ut Status procurarent pabula pro 4 millibus equitum pro 40 diebus qui locandi essent inter Bruxellam et Vilvordiam, et Status scripto responderunt, illud sibi esse impossibile.

f^o 168^{vo}. — Item finantiae petierunt 4 aut 5 millia florenos solvi pro fortificando oppidulo Leeuwensi, status etiam se excusaverunt, et desuper particulariter informarunt D. thesaurarius finantiarum. Maius.

3 Maii, Optinuimus apostillam favorabilem super requesta repraesentata 22 Aprilis, ut oppida equitibus gravata possent conducere prata pro eisdem, in defalcationem suae quotae in subsidio etc. et

4 Maii, Status resolverunt copiam illius mittere Lovanium et ad omnia oppida Brabantiae milite equite gravata.

Item scripsit Gubernator epistolam Statibus, qua requirebat ut praesidiariis equitibus residuis in Brabantia solveretur stipendium unius mensis, praesertim cum concessisset litteras status executionum etc. et ne cogeretur denuo tractare cum officialibus ruralis patriae. In crastinum dilata fuit resolutio.

5 Maii, Officiales ruralis patriae qui conscripti fuerant pro facienda secunda anticipatione super subsidio 800^m flor. illi de quarterio Antwerpiensi attulerunt consensum, illi de quarterio Bruxellensi, excusarunt se propter impossibilitatem et non servatas condiciones in prima anticipatione et omnes obmurmurabant contra taxationes caminorum pedem illum non esse foris justum et aequalem etc.

Pridie per epistolam excusaverat se quarterium Tenense propter easdem rationes sicuti et Maieris Lovaniensis, et drossardus Arscho-tanus.

Quia autem propter approximationem Regis Galliae visitantis loca et oppida nuper a se acquisita, Gubernator patriae volebat circum Bruxellam congregare milites equites et ob defectum pabulorum a quibus se excusabant Status minitabantur locari in rurali patria inter Lovanium et Bruxellas.

f^o 169. — Status demandarunt baroni de Dongelberge loqui cum Secretario Mandietta, Marchione de Marchin et aliis, quatenus ruralem patriam vellent exonerare ab illa hospitacione militum, et finantiae vellent providere illis de pabulo, quod Status prima occasione providerent de restitutione summae impensae et ex anticipatione

secunda per quarterium Antwerpiense facienda, satagerent solvere unum mensem stipendii Militibus equitibus residuis in Brabantia.

En marge : Donarium Mandietta.

Item ut conciliarent sibi favorem secretarii Mandietta resolverunt ipsi dare pro honorario centum pistollas.

Eadem vespera dictus Mandietta ex parte Gubernatoris scripsit D. thesaurario finantiarum ut ex parte finantiarum mutuaret Statibus 20 et 25 millia florenorum pro procurandis pabulis equorum locandis intra Bruxellam et Lovanium, et Status infra mensem restituerent.

6 Maii, Dictam Epistolam ego tuli D. thesaurario Dennetières, et causam commendavi, et ante meridiem retulit D. baro de Dongelberge quod in dicta causa egisset.

7 Maii, Finantiae accordarunt Statibus mutuare 20 millia florenorum, sub obligatione restitutionis infra sex septimanas cum interesse, idque ex subsidio impostis, ad procuranda pabula pro equitibus locandis in patria rurali circa Bruxellam — qui eo inter 2 et 3 millia convenerunt.

9 et 10 Maii, Quia quarteria Maierarum Bruxellensium et Brabantiae Walonicae faciebant difficultatem solvendi seu accordandi secundam anticipationem, quia via caminorum nimium gravabant pauperes, et Lovanienses et Antwerpienses ac etiam Tenenses negaverant consensum super secunda anticipatione, resolutum ut omnibus fieret per epistolam nova instantia, et adjungeretur acta data quarteriis Bruxellensibus, ut nimirum dictam anticipationem colligerent non via caminorum, sed tali, qualem inter se judicarent

f^o 169^{vo}. — convenientiorem, salvo quod subsidio concluso, dictarum anticipationum fieret reductio, juxta pedem per subsidium concludendum.

22 Maii, Cancellarius petiit nomine Gubernatoris 42^m 200 flor. pro solutione militum qui ex Brabantia tetenderunt Hannoniam et Flandriam.

23 Maii, Quia Cancellarius non sciverat replicare an dicta summa peteretur per se an vero per anticipationem super subsidio 800^m flor. resolutum fuit, non esse consentiendum in novam petitionem antequam subsidium foret aut plene accordatum aut desertum ; et anticipationem super dicto subsidio etiam non posse accordari, quia nummi ex secunda anticipatione per patriam ruralem facienda, non tam cito habendam, et quia major illius pars esset onerata per factam solutionem equitibus residuis in Brabantia, suppli-

candum esse Gubernatori ut faceret instantiam apud Civitates quae adhuc erant in defectu consensus super dicto subsidio.

29 Maii, Propter intercedentia festa Pentecostes prius coram Cancellario aperta fuit.

3 Junii, Quia milites equites hospitati inter Bruxellam et Lovanium diutius justo morabantur, et pecunia de qua 7 Maii jam exhausta esset, et consilium Status Gubernatorem consultasset jam ab 8 diebus, quod dicti milites ad sua quarteria reverti possent, et indies apud gubernatorem instaretur pro dimissione eorumdem, adhuc super credito ad aliquot dies, pabula subministrata fuerunt, quae si defuissent aut deessent omnia in disordinem descivissent, hinc Status autorisarunt suos deputatos, ut omni meliori prospicerent de pabulis, et instarent pro dimissione eorum.

En marge : Gubernator.

Mirabile enim accidit ; Gubernator qui ab aliquot mensibus redire volebat Hispaniam, a 16 Maii elapsi, nulli rei amplius se immiscere voluit, et quasi in phrenesim actus, quidquid ministri status urgerent nihil

fº 170. — signare voluit. Hinc acta, quia milites ad sua quarteria dimitterentur, mansit non signata, et milites manserunt intra Bruxellam et Lovanium.

Post meridiem convenerunt deputati Statuum cum braxatoribus Bruxellensibus, ut super impostis currentis anni anticiparent adhuc 10 millia florenorum, pro pabulis procurandis intertentioni dictorum equitum necessariis — ultra 15 millia, quae anticipaverant pro solutione pabulorum pro comite de Marchin de quibus supra 23 aprilis.

10 Junii, Comes de Marchin indicavit Graffiaro Statuum esse in aula resolutum non dimittere ad sua quarteria milites hospitantes intra Bruxellam et Lovanium, nisi prius

En marge : Nota. solverentur 42 millia florenorum 22 maii petita — hinc deputati convocarunt proximiores dominos statuum in

12 Junii, et justo numero congregati, resolverunt, post meridiem audire Receptorum quarterii Bruxellensis, utrum super anticipatione facienda per quarterium Bruxellense non posset levare 25 millia flor. et insuper etiam audire braxatores Bruxellenses an non possent anticipare 17 millia flor. super impostis inchoandis prima decembris 1670.

En marge : Parch.

Referebat graffarius D. Dentières thesaurarium generalem dixisse quod Abbates istam summam facile possent solvere, et no-

minasse Parchensem, quod ille posset solvere 10 millia pataconum, et Vlierbeka 3 millia, et abbates esse malos oeconomos qui non haberent 100 millia pataconum in suo deposito.

En marge : Nota. Statibus non credi.

13 Junii, Cum graffarius cum deputatis adiret comitem Marchin et deinde etiam adire putarent ducem Villehermosa, qui recens ex Hispania venerat, cum officio generalatus equitum, egerunt cum Don Corduad'acuna vice generali equitatus, qui illis dicebat Status Brabantiae carere fide in aula, et illis non credi etc.

14 Junii, D. D. Deputati Status provinciarum unitarum me convenerunt exponentes controversiam processus inter D. de Helmont et D. Rachet et indicantes, nisi concilium Brabantiae supercederet in executione contra D. de Helmont quod Status Hollandiae cogerentur uti retorsione, et se habere in mandatis aliquibus Abbatibus Brabantiae hoc indicare, quatenus se in negotio vellent interponere, etc.

f^o 170^{vo}. — 15 Junii, Cum in aula persisterent equites inter Lovanium et Bruxellas hospitatos, non discessuros nisi prius Status haberent parata 42^m flor. de quibus 10 hujus et 22 maii, tandem hodie convenerunt cum braxatoribus Bruxellensibus, quod impostas cerevisiae unius integri anni finiendi ultima maii 1671 ipsi haberent pro 70^m flor., et dictam summam nunc anticiparent, defalcando ab eadem quod jam prius levaverant scilicet 16 millia pro D. Comite de Marchin, et 10 millia pro pabulis de quibus 9 hujus ; et eadem vespera indicatum fuit Secretario gubernatoris dictam summam 42^m flor. paratam esse, indicaret hoc D. Gubernatori et instaret pro dimissione militum hospitantium circa Bruxellam, et procurraret signaturam actae quae pro Statibus deberet expediri quae sequenti die traderetur.

16 Junii, Deputati Statuum praesentarunt se in aula ut si possent loquerentur gubernatori, et etiam aliis ministris, et instarent pro dimissione dictorum equitum — gubernatori loqui non potuerunt, alii ministri praetexuerunt (sic) Gallos moliri aliquam invasionem, illos equites necdum posse dimitti, et studuerunt Status eludere.

18 Junii, Prius a gubernatore acta fuit signata pro Statibus super dicta anticipatione 42^m fl. et quia manifeste advertebatur status eludi, et undique deessent media pro continuatione pabuli, et aula a fine maii hucusque Status deduxerant, de die in diem faciendo sperare dimissionem militum, resolutum fuit, quod ultra 40^{mum} diem pabula non darentur.

19 Junii, Cum die crastino esset 40^{mus} dies quo pabula fuissent

subministrata, resolutum ut brevi scripto indicaretur Gubernatori, cras terminum pabulorum expirare ipsum per actam 18 hujus signatam, addixisse dictorum militum dimissionem, deesse media continuationis pabuli, non sumenda foret ex dictis 42^m flor., ea propter rogare pro istorum militum dimissione.

25 Junii, Post continuatam instantiam apud aulam et ministros aulae factam, non potuimus habere responsum super scripto praefato de 19 hujus et quia miles

f^o 171. — ob defectum solutionis et subsistentiae, incipiebat inolescere et predas agere, Comes de Marchin generalis exercitus suadebat deputatis Statuum, ut equitibus circa Bruxellam et Lovanium, vellent dare aliquam subsistentiam, et pro 4 aut 5 diebus singulis dare 5 stuferos in singulos dies, quae ascenderent ad 600 flor. per diem ; aut si Status hoc nollent facere, an invenirent consultum, ut curaret illa solvi per officiales rurales ; desuper facta deliberatione, status timentes ne si hoc inciperent, isti obligationi per plures forte dies inherere deberent, sicuti illis hucusque contigerat cum pabulis, et quia Comes praefatus dixerat, quod ne dictum finem non possent impendere 42^m flor. de quibus 15 junii praecedenti, resolverunt respondendum comiti de Marchin sibi deesse alia media ad satisfaciendum dictis equitibus — an autem hoc exigeret ab officialibus ruralis patriae, desuper illi non esse respondendum — sed nos habituros permissive.

26 Junii, Resolutum ut deliberatoribus pabulorum solverentur 6 millia flor. ex dictis 42^m.

En marge : « Waerdeerder scapp ».

Item post meridiem D. D. Deputati omnium suffragiis contulerunt officium « Waerdeerder scap vande bieren » sive « toesiender » redario nostro Anthonio Lowies.

27 Junii, Incepit Comes de Marchin emittere ordinationes super quarteriis ruralis patriae, ut contribuerent pro solutione placquiliarum pro militibus in suis ruralibus quarteriis jacentibus et quod illis serviret ad computum suae quotae in subsidio, etc.

29 Junii, In dominica, advenit extraordinarius Cursor quem Conestabulus Gubernator, expedierat Hispaniam, et tulit ei licentiam redeundi in Hispaniam, et nuntium, quod illi substitutus esset in regimine, ad tempus, Comes de Monterey ²⁴¹⁾, hanc substitutio non videtur fuisse grata gubernatori

²⁴¹⁾ Jean de Cuninga y Fonseca, comte de Monterey, deuxième fils de don Louis de Haro, le négociateur du traité des Pyrénées (PIRENNE, o. c., V, p. 16).

f° 171^{vo}. — et cum hactenus fuisset impatiens morae, putaretur statim abiturus, adhuc tamen hesit Bruxellis usque ad 8 julii inclusive, absque eo quod regimini vellet se immiscere, nisi quod aliquot provisiones Abbatiarum et officiorum signaverit, ex quibus scivit emungere pecunias ; interim juxta sua phantasmata, aliquos ex ministris per intervalla ad se vocavit, et valedixit, de omnibus pecuniis quas optinere potuit disposuit, non in publicam utilitatem, sed in privatos suos usus, et sibi servientibus ; tandem

8 Julii, post meridiem, quasi insalutato hospite cunctis ignorantibus, post horam quartam, reda duorum equorum modeste exivit Bruxella, et extra portam collocatis 4 aliis equis, illos junxit redae et tetendit Hallas, et remisit famulum qui mandaret nonnullis suis domesticis, ut illico reda alia ipsum sequerentur, et reliquit mandatum, ut nullus militarium infra triduum exiret civitate, ut nimirum nullus eum comitari posset.

9 Julii, Mane Mandietta secretarius Comitis stabuli, misit scedas de mandato sui Magistri Comiti de Marchin don Esteven de Famarra, don Pimentel, et praesidi secreti Consilii, et nonnullis aliis ut hora quarta post meridiem convenirent in aula, aperturi et lecturi mandatum Comitis stabuli super suo discessu, et substitutione sui successoris.

13 Julii, Comes de Monteray significavit per litteras Statibus Brabantiae, se a Regina Hispaniae declaratum esse gubernatorem patriae, loco Comitis stabuli, etc., et prius

16 Julii, postmeridiem ista litterae destinatae fuerunt.

17 Julii, Dictus Comes Monterey qui hactenus ultra annum Antwerpiae degerat, per Mechliniam venit vesperi Bruxellam omni nobilitate comitatus, et in via lustravit

f° 172. — copias militares equitum quae hactenus inter Lovanium et Bruxellam jacuerant, quas jussit postridie ad sua solita quarteria remeare.

Eadem vespera, circa horam nonam, deputati Status Brabantiae congratulati sunt dicto comiti Monteray, super promotione sua, etc.

19 Julii, Mane ante lucem, dicti milites qui ultra bimestre jacuerant inter Lovanium et Bruxellam maximo onere Brabantiae, discesserunt ad sua quarteria.

30 Julii, Cancellarius attulit Epistolam gubernatoris, pro expeditione subsidii etc. et quia non erat togatus, desuper fuit a duobus primis Statibus in absentia tertii Status, admonitus quatenus in posterum veniret cum toga.

1 Augustus, Bruxellis ante portam de Scarenbeke, quidam hortulanus, repetens fructus horti sui, quos aliqui Hispani milites abstulerant, a milite percussus se defendit, et militem pugno repressit, qui illico hortulanum pugione interfecit; hinc magnus factus fuit tumultus in plebe, et milites hispanos urbe pellere nitebantur, domus excubiarum circa portas de Scarenbeke et Lovaniensem incenderunt.

2 Augusti, Pro sedanda plebe, dictus miles interfecto ante meridiem circa horam decimam inventus et apprehensus in meridie in foro Bruxellensi, illico suspensus fuit.

9 Augusti, In generali congregatione Statuum ubi intererant duces d'Arschot et Bournonville, resolutum fuit ut ageretur in aula pro abolitione theloniorum quae undique male exigebantur.

En marge : Goyck.

Item resolutum fuit ad instantiam Antwerpiensium, ut baro de Goyck adhuc remaneret Madriti, et resolutionem magis praecisam peteret pro abolitione licentarum, nunc spem bonam affulgere, etc. Baro de Wemmel huic resolutioni non contradixit sed simpliciter se conformavit dicendo, idem.

12 Augusti, Apud deputatos lectae sunt duae epistolae reginae Hispaniae, una gallica de data 25 julii et altera hispanica de 27 julii, quibus significabat se per interim designasse in gubernatorem Comitem de Monteray, et addicebat submittere pecunia etc.

f° 172^{vo}. — 27 Septembris, Deputati Universitatis Lovaniensis, de quibus supra 22 octobris praecedentis anni tetenderunt Romam scilicet : D. Huygens et D. Rendaël et pridie mihi vale dixerunt.

In mense septembris civitas Bruxellensis accordavit ad instantiam aulae anticipare 100^m flor. ex sua quota in subsidio 800^m flor, de quo 10 et 12 et 18 decembris anni praeteriti.

In fine mensis septembris aula cepit tentare officiales rurales patriae, pro facienda redemptione hospitalitatis militum.

OCTOBER.

13 Octobris, lecta est epistola reginae inscripta Statibus Brabantiae qua declarabat se constituisse Comitem de Monterey gubernatorem Belgii, usque ad adventum principis don Jean ²⁴²⁾ et epis-

²⁴²⁾ Ce prince don Jean ne vint vraisemblablement pas, car nous trouvons qu'en 1674 le comte de Monterey fut remplacé par le général de la cavalerie aux Pays-Bas don Carlos de Gurrea Aragon y Borja, duc de Villa Hermosa, comte de Luna et Picallo (PIRENNE, o. c., t. V, p. 29).

tola erat data 27 augusti 1670 — Hinc resolutum, ut Status iterato desuper congratularentur gubernatori, et rescriberetur Reginae.

Et ego cum aliis de secundo et tertio Statu, desuper per graffiarium congratulati sumus.

17 Octobris, Ego cum barone de Wemmel et pensionario Lovaniensi et graffiarium accessimus Gubernatorem ut induceremus illum, ad expediendam requestam quam a quindena illi exhibueramus, et averteremus a contractu quem inchoabat cum ruralibus officialibus patriae, etc., et vellet petere a Statibus subsidium, more consueto.

En marge : Nota.

Respondit inter alia, aliquos in Statibus esse, qui contra operarentur ne subsidia consentirentur, et hoc non occulte sed etiam aperte, Status multa promittere sed pauca praestare.

Desuper convocati sunt viciniore Abbates et Nobiles.

21 Octobris, Et resolverunt desuper facere remonstrantiam Gubernatori, quatenus si qui essent tales etc. castigarentur et ideo totus Status non vilipenderetur etc.

f^o 173. — 22 Octobris, Dicta remonstrantia lecta fuit et resolutum ut die crastino per Abbatem Vlierbacensem, baronem de Dongelberga et pensionarium Antwerpiensem praesentaretur.

Eodem die D. de Champs ²⁴³⁾ fecit in Statibus juramentum uti consiliarius consilii Brabantiae, qui venit in locum fratris mei ²⁴⁴⁾ quondam fiscalis, et nunc missi Hispaniam.

23 Octobris, Praefati deputati exposuerunt per graffiarium se dudum novisse Status Brabantiae in aula male depictos fuisse et gubernatori gratias agere, quod aperuisset se, aliquos inter illos esse qui contra resolutionem super subsidiis capiendam conterminare seu contra agere, et desiderare quatenus Gubernator tales vellet declarare, et tradere officio fiscali etc. respondit illum non adesse,

En marge : Wemmel. sed alia vice adfuisse et esse baronem de Wemmel.

Deinde exposuerunt iterato esse contra privilegia patriae tractare cum officialibus ruralis patriae, derelicta via Statuum et praecariorum, status ob servitium Regis gravi aere oberatos esse etc.

²⁴³⁾ Deschamps (Jean Guillaume) ancien échevin d'Anvers, conseiller le 13 octobre 1670 en remplacement de Léon Jean de Pape; mourut en mars 1695 (GAILLARD, o. c., p. 363).

²⁴⁴⁾ Léon Jean de Pape, voir note 105.

In fine gubernator petebat num abbas Vlierbacensis qui aderat, esset Abbas Parchensis.

En marge : Continuatio meae deputationis.

11 Novembris, Omnes R. R. D. D. Abbates exceptis Abbate Grimbergensi ²⁴⁵⁾ qui primus heri installatus fuerat, et Abbate Villariensi in absentia Episcoporum, ad hoc expresse conscriptorum, continuarunt me esse suum deputatum, quod tantum volui acceptare pro triennio.

En marge : « Petitie van subsidie van 1500^m gl. ».

Eodem die per cancellarium facta est petitio subsidii 1500^m flor.

Item data epistola Statibus pro completionem subsidii 800 flor. hoc anno accordati, et copiae epistolarum scriptarum civitatibus Antwerpiensi et Bruxellensi, quatenus in dicto subsidio vellent accordare pedem caminorum, in quem duo primi Status et civitas Lovaniensis convenerant.

Item allata est acta acceptationis absoluta, super impostis cassis ultima novembris 1669.

Super impostis cassis ultima maii 1670 acceptatio

f^o 173^{vo}. — dari non potuit, quia nec Antwerpienses nec Lovanienses in illis consenserant.

Item allata fuit acta provisionalis acceptationis impostarum pro uno integro anno finiendo ultima maii 1671 per duos primos Status accordatarum.

14 Novembris, Resolutum ut D. Baroni de Goyck in Hispania destinarentur tria millia florenorum ad computum suae intertentio-
nis.

15 Novembris, Resolutum ut D. Gubernatori indicaretur, quod commode resolvi non posset per duos primos Status super petito subsidio antequam prius completum esset etc. et cum aula tractasset cum officiariis ruralis patriae et a quarteriis

Antwerpiensi extorsissent promissionem	230 ^m flor.
Bruxellensi	140 ^m flor.
Walloniae Brabantiae	72 ^m flor.
Arscotano	12 ^m flor.
Lovaniensi	9 ^m flor.
Sichemensi	3 ^m flor.
Meerhout et Vorst	3 ^m flor.
expeditionem subsidii non adeo festinare ;	

²⁴⁵⁾ Laurent Bogaerts. 21 octobre 1670 décédé le 14 janvier 1692.

Et notandum quod quarterium Thenense quia recusabat addicere 50^m flor. quae petebantur et tantum offerebat 25^m flor. 10 cohortibus militum equitum ab ultima octobris praeterita gravatum est. Et cum deinde offerret dare infra 6 menses 50^m flor. dummodo expensae factae dictarum 10 cohortium defalcarentur, auditi non sunt.

18 Novembris, Resolverunt Nobiles, ut via juris operetur contra civitates pro accordando pede quo deberet fieri « die hertellinge ».

f^o 174. — 6 Decembris, Apud deputatos Statuum fecit juramentum observandi Laetum Introitum, etc., uti consiliarius consilii Brabantiae, nepos meus Egidius de Pape²⁴⁶) qui venit in locum D. Clops defuncti.

En marge : « Edelen en ».

20 Decembris, Nobiles seorsum congregati scilicet princeps de Bournonville barones de Wemmel et Pellenberge, de Dongelberge, de Eversberge, de Willebroeck et Cumptich, juxta resolutionem quam 18 novembris 1670 ceperant, demandarunt baroni de Dongelbergh ut causam istam de « hertellinge » prosequeretur, et litteras « van daghsel », quas in concilio Brabantiae desuper acceperant primo die opportuno exequeretur.

Item his diebus ex parte aulae deputati Statuum quia 30.000 flor. ex 100.000 quos civitas Bruxellensis in septembris elapso anticipaverat, super subsidio 800^m flor., expenderant in solutionem debitorum Statuum etc. moniti fuerunt, ut dictam summam 100^m flor. supplerent, et cum per diversas vices respondissent hoc esse impossibile in praesenti, sed se facturos omne quod possent et ex impostis currentibus hoc supplerent.

22 Decembris, Cum ego mane circa horam octavam discessissem Bruxella Parchum, deputati Statuum a Gubernatore vocati sunt, et iverunt Abbas Vlierbacensis, Baro de Dongelbert et

cum graffario, ubi gubernator aspere cum illis egit, et dixit, quod non vellet solvere debita contracta per suos praedecessores, quod deputati Statuum nec etiam Status, possent divertere nummos subsidiorum aut impostarum, quod ex illis proventibus nulli etiam solvere possent, quam ex sua ordinatione et parapha, et nisi Status jussa ejus facerent, quod illos dissiparet, et mandavit deputatis Statuum

²⁴⁶) De Pape (Gilles Dominique), écuyer, fils de Léon Jean, conseiller le 3 décembre 1670 en remplacement de Cloeps, mourut au mois de mai 1686 (GAILLARD, o. c., t. III, p. 363).

f° 174^{vo}. — ne exirent civitate Bruxellensi, nisi prius supplevis-
sissent istos 30^m flor. quos ex anticipatione Bruxellensi, diverterant
alio, et nolebat illos suppleri neque ex impostis neque ex quota Ant-
werpiensis civitatis in dicto subsidio ; sed ex residuo aliarum restan-
tiarum, Ut isti rigoroso mandato satisfacerent, coacti fuerunt depu-
tati per thesaurarium et tres suos receptores dictam summam
30^m flor. levare ad redditum, et pro hypoteca habuerunt restantias
subsidiï 800^m flor. Circa finem decembris, pro 29, per Cancellarium
conscripti fuerunt Status pro audiendis opinionibus Civitatum super
impostis inchoatis prima decembris 1670 et tales allatae fuerunt ut
declaratum fuerit esse sufficientem consensum.

f° 175. — Anno 1671.

19 Januarii, Primum ego Parcho Bruxellas reversus fui.

20 Januarii, Graffarius retulit juxta resolutionem Statuum in fine
anni praecedentis captam, se praesentasse gubernatori remonstran-
tiam in causa D. Cagillio D. Cauwenborgh — cujus processus vio-
lenter de mandato Gubernatoris fuerat ablati, e consilio Mechli-
niensi, et praetentis omnibus consiliis, volebat rem jam indicatam
per iudices a se delegandos judicari et quia hoc directe repugnabat
privilegiis, et Archidux Leopoldus circa annum 1655 in simili casu,
suum attentatum cassaverat, putabatur hoc gubernatori praesen-
tandum, sed illam remonstrantiam acceptare recusavit, dicens rem
illam resolutam esse, et si Status desuper vellent conqueri, hoc fa-
ceret in Hispania.

Item his diebus publice sunt elocatae impostae incoepae prima
decembris 1670 et annus cum dimidio intermedius, necdum fuit
plene accordatus ob defectum consensus Antwerpiensium.

En marge : Samorra.

21 Januarii, D. Samorra cum D. de Bie pro prima vice compa-
ruit ad ineundos computus ex parte finantiarum cum Statibus — et

23 Januarii, post meridiem excepti fuerunt haustu vini et meren-
da.

En marge : « Imposten ».

4 Februarii, Cancellarius nomine Regis petiit consensum super
impostis inchoandis prima junii 1671 et accordatae sunt pro medio
anno per duos primos Status.

Hodie pro prima vice comparuit in Statibus Archiepiscopus
Mechliniensis D. de Berges²⁴⁷).

²⁴⁷) Alphonse de Berges, issu de l'illustre famille des barons de Grimberge. Il

Item filius Marchionis de Deynse.

f^o 175^{vo}. — Item resolutum fuit, ut iterata fieret instantia apud Gubernatorem, ne causam D. Carillio traderet iudicibus delegatis, sed sineret habere cursum in Ordinariis Consiliis.

En marge : « West Indie ».

Item quia Gubernator intendebat promovere navigationem e Flandria in Indiam Occidentalem, et videbatur requirere ut Status Brabantiae et Flandriae ipsum requirerent quatenus apud Regem in Hispania illum in finem intercederet, resolutum fuit ut hoc fieret, et quia iudicabat rem illam in Hispania non debere proponi per D. Baronem de Goyck, et requirebat, ut hinc expressus in Hispaniam cum litteris Gubernatoris mitteretur, hoc ipsum admissum est, et ut mittendo illum in finem a Brabantia semel daretur 1500 fl. et totidem a Flandria, et reliquum si quid deesset supplerent, mercatores praetendentes.

5 Februarii. Lectus fuit libellus praesentandus nomine Statuum Gubernatori super commercio optinendo in India Occidentale.

Item fuit lectus consensus duorum primorum Statuum super impostis coram Cancellario.

En marge : Goyck.

Item lectus fuit libellus Baronis de Goyck nomine statuum praesentatus Reginae in Hispania super exactione facta in patria rurali pro exemptione hybernationis militum, et hybernatione decem cohortium equitum in quarterio Thenensi, libellus placuit, et pro satisfactione dicti baronis, resolutum ut ei scriberetur, Statibus placere ; et in distincta epistola adderetur, quod mitius potuisset scribi de Abbatibus, quod antequam intrarent Status Brabantiae, ad placitum ducis taxarentur, quod ei nolui admittere, et insuper mitius potuisse dici, quod ex imperitia seu non debita informatione ministrorum subalternorum, petita subsidia subinde non haberent successum optatum. Baro de Wemmel sciens dictum libellum legendum

f^o 176. — praevis subduxit se, et Burgimagister cepit contra dictum libellum exclamare, et voluit illius habere copiam, quam graf-farius noluit dare sine consensu Statuum quorum jam aliqui disceserant.

était fils de Godefroid de Berges, comte de Grimberge etc. et de Honorine de Hornes, dame d'Arquennes; le roi d'Espagne le nomma en 1667 à l'évêché de Tournai. Il fut peu après nommé à l'archevêché de Malines. Il fut sacré à Bruxelles le 25 janvier de l'an 1671 et mourut le 7 juin 1689 (BUTKENS, o. c., Suppl. II, p. 415).

(A suivre)